

2465

A S C E T I C I.

2466

Monacho adtribuerit, nisi *Gallum Matthaei* fortasse praenomen gefisse dicas. Magnum *Malogranati* usum fuisse apud Religiosos et vere devotos testatur *Tribemius*, idque, ut recederetur, aevo suo *Balbinus* optavit, quod editionum, quae feruntur, annor. 1476. 1481 et 87. vix ulla Exemplaria superesse viderentur.

DCXLIII.

398

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 189. 4. probe scriptus, Frontispicioque et literis Capitum initialibus auro fulgidis et picturatis *Asceticus* est, et ita orditur: *In Nomine sancte et Individue Trinitatis. patris et filij et spiritus sancti Amen. Prologus In Orationarium In vita domini nostri Ihesu christi. Initium: Sepe rogatus sum ut quomodo simplex Religiosus debeat potissime quantum ad interiorem hominem se habere, et tempus quod extra necessarias occupationes sibi restat, ad laudem dei et salutem anime expendere aperirem &c.* Multos doctos et expertos hoc ante se egisse, sed confidere se in illo, qui per asinam olim veritatem locutus est &c. Sequitur *Intentio*, sive Methodus operis; suadetur scilicet sacra lectio, meditatio et oratio. *Et quia à principali debet res denominari Et hic libellus principaliter de orationibus ait — Ideo vocetur Orationarium &c.* Succedit Elenchus Capitum XXXVII. quae de praecipuis Religionis Christianae et Vitae Christi Mysteriis ita tractant,

ut in singulis *Meditatio* praecedat et *Orationes* una vel plures eam excipiant. Ita *Capitulum primum De Cogitando Deum* incipit: *Quia Incarnatio, Natiuitas, conuersatio in mundo, Passio, Resurrectio, in celum ascensio, domini nostri Ihesu christi, et spiritus sancti missio sunt cause nostrae resurrectionis et glorie &c.* Finis totius operis: *et sine fine gratias referentes sanctissime Trinitati simplicique deitati feliciter regnaturi. Quod ipse infinita tua benignitate nobis praestare digneris, qui cum eodem patre &c.* Omnia pia, verum nihil eximii. *Autorem*, in cuius Nomen frustra inquisivi, monastico cuidam Caetui adscriptum e *Prologo; Codicem* vero auspiciis Principis *Austriaci* exaratum fuisse e *Scuto Gentilitio* in fronte adpicto liquet.

DCXLIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 450 Folior. 225. 4. non una manu exaratus Sequentia complectitur: I. *Adnodata* quaedam *Ascetica* de Exercitio Facultatum Animae, de XV. Causis prolabantis Observantiae Claustralis, in quibus est *Parochiarum incorporacio*, de Mediis Observantiam stabiliendi, et pauca e D. *Bernardi* Operibus excerpta.

II. fol. 4. p. 2. *Passio anatholie virginis* sequitur. Initium: *Temporibus decij cesaris erant rome sacratissime uirgines christi Victoria et Anatholia, que ab ipsis fuerant cunabulis christiane &c.* Abstineo pluribus; Acta enim haec olim ex eod.

2467

C O D I C E S

2468

eod. Cod. à Franc. Baertio descripta extant adjecta crisi in *AG. SS. T. I. Jul. ad diem IX. p. 676.*

III. fol. 16. *Tractatus de esu carniū monachorum doctoris eximij (Joh. de Polemar seu) palomar dicti. Praeit Scala quaedam brevis ascetica hoc rubro: Sequentem scalam tradidit dominus egregius Dominus Johannes dictus palomar, Auditor causarum (Palatii Apost.) doctor utriusque iuris. qui per suam sapientiam et auxilium dei vicit in Concilio Basiliensi buffitas et bytleuistas et in medico (Coenobio Mellicensi O. S. B.) habentur ejus dicta contra istos hereticos peruersos. Etiam composuit tractatum vnum de esu carniū contra carnales et impudicos Monachos. Et eccum! Praeit Epistola inscripta: Amantissimo patri dompno Johanni Abbati Monasterij Sancte Mariae ordinis Sancti Benedicti Wienne scotorum vulgare nuncupati. Johannes dictus Palomar velut unus ex Monachis vestris &c. Post laudes Abbatis, amicitiaeque significationem ait a multis se interpellatum, ut de hac materia scriberet, metu contentionum nunquam adqueviffe, concluditque: Habeat paternitas Vestra, quod expetijt, meum breuibus uerbis intentum, communicet filijs, communicet etiam si velit gratis amicis, hijs uero, de quibus existimet, quod non in eis prurimum disputationis exagitet, sed eos in proposito salubriori confirmet. Tractationem porro sic ingreditur: Surgent in iudicio filii Rechab homines ex illo carnali populo sub um-*

bra legis viuente — Surgent aduersus filios Sanctissimi Benedicti &c. eamque non vulgari Canonum et Constitutionum Monasticarum cognitione pertexit. Finis est: ad prolixitatem nimiam iste tractatulus perueniret. Et rubro adjectum: Compositus est tractatus iste per egregium doctorem in Iure Johannem Palomar contra esum carniū monachorum sanorum. Novit illum Trithemius Scriptt. Eccl. n. 741. atque ex eo, ut puto, citant alii; vix enim typi beneficio in plurium manus venit. Abbas, ad quem scriptus est, videtur ex Job. Raschii Indiculo vernaculo Johannes ab Oxenhausen, qui a 1446. diem clausit.

IV. fol. 30. *Tractatus de reformatione status Cenobitici, Johannis, ut e calce praeoccupo, Nider celebris e Praedicatorum Sodalitio medio Sec. XV. in germania theologi. Initium: Rogatus sum a te pater mi. qui reformationis officio in tuo collapsō ordine insistis pro uiribus &c. Abbas iste fortassis idem Job. Ochsenbusanus mox memoratus fuit, qui Nidero in Concilio Basileensi innotuerit. Tempus scriptionis ex his Prologi verbis desumi potest: Quamuis autem modo ut tua nouit pietas constitutus in itinere una cum alijs sacri generalis concilij ambasciatoribus ad maiestatem transmissis caesaream, sim circa eandem plerumque in fidei occupatus negociis &c. Missio enim haec in exitum anni 1431. incidit. opus ipsum in Partes III. tributum, quarum I. lapsū religiosorum aperit, II. curam reformationi tradit, III. fructus reformationis*

2469

A S C E T I C I.

2470

cionis ostendit, lucem vidit Parisiis 1512. 8. et Antverpiae 1611. 8. ut habes in Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 793. ubi pluribus de No- stro.

V. fol. 207. p. 2. *Incipit tra- ctatus boneventure de triplici uia. Hoc modo: cum omnis scientia gerat trinitatis insigne precipue illa que docetur in sacra scriptura, debet iure reputari vestigium trinitatis &c. omnia hic Tria: Intellectus moralis, allegoricus, anagogicus, triplex actus Hierarchicus, Purgatio, Illuminatio, Perfectio, triplex Exercitium, legendo, meditando, orando, item Stimulus conscientie Radius intelligencie, Igniculus sapientie &c. Habet quidem Bonaventura his adfinia in sua Theologia mystica; ipsum vero Tractatum praesentem in ejus Operibus non invenio. Ad calcem: Georius schetzel de karelstat scriptor buius libri.*

DCXLV.

749 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 18. 8. inscribitur: *Pulcherrime Vtilissimeque Admonitiones vel Instructiones, per Ambrosium Holtzl in celebri Monasterio Rot tunc temporis agentem inscripte Anno (15) 57. In- sunt vero: Alphabetum paruum Boni Monachi in Schola dei ordinatum a Sancto Bonaventura Doctore Seraphico, Versus quidam de legendis Horis Canonicis, Instructio Sacerdotis cui commissum est Missas celebrare, Dicta quaedam Patrum, Computus denique chronologi- Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

cus Temporum ab Adamo usque ad exitum Abrabami lingua vernacula exaratus anno 1540. Levis omnia momenti, de quorum Compilatore nihil adnotatum reperio, neque dispicio, Rotamne ille Suevicam, Collegium Praemonstraten- sium, an Bavaricam, Coenobium D. Benedicti, designet, quae bello tricennali devastata perperam adferitur in *Lex. Univ.* cum hodie dum floreat, ut habes in *Monum. Boic. T. I. p. 335.*

DCXLVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 692 Folior. 174. 4. nitide ab una manu exaratus habet sequentia: I. *Incipit prologus libri sequentis qui dicitur speculum prelatorum.* Ejus initium: *Quoniam consulitur aut precipitur Proverbior. V. per sapientissimum Salomonem &c.* Opusculum ipsum VII. Capitulis constans infit: *Scripturus per modicum ad mei ipsius ymo omnium prelatorum salutarem instructionem &c.* Itaque Praelatum audis, cumque in Prologo *Statuta Ordinis Carthusien- sium* citentur, et in Opusculo mox referendo fol. 36. haec verba legantur: *Hec omnia supradicta dilectissimi intelligentes et opere perficientes veri carthusiensi sumus verique abrahe patris obedientie filij &c.* palam fit et hujus et sequentium Speculorum Autor *Jacobus Gruitroede Leodicensis* Carthusiae Prior a. 1472. fato functus, quem hos Tractatus composuisse tradunt *Trithemius, Theod. Petrejus et Job. Fr. Foppens.* Addit postre- mus

L 111

mus